

—*— **Festa s̄ra.** —*—

DIE IV. FEBRUARII.

B. Joannæ Valesiæ

nec Virginis nec Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi non Virg. [160] præter seq.

Oratio.

DEus, qui ad imitandum beatæ Virginis Filii tui Genitricis virtutes, novum per beatam Joannam sacrarum virginum cœtum institui voluisti: ejus meritis precibusque concede; ut per eadem gradiamur virtutum exempla. Per eundem Dominum.

Commemoratio Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones. Mulierem fortem. de Communi. [164]

In II. Nocturno.

LECTIO II.

Joanna Valésia, Ludovici undécimi Galliarum regis filia, a teneris annis in omnem pietatem instituta, ac propensa, non obscuris futuræ sanctitatis indicii continuo claruit. Quinquennis, ferventissimis precibus Deiparam Virgi-

nem, quam semper mirifice coluit, exoranti, ut quo ei placere magis posset obsequio, significaret, prænuntiari sibi visa est, fore aliquando, ut novum sacrarum virginum ordinem in ejusdem Deiparæ honorem institueret. Ludovico Aurelianensium duci invite nupta, summam in prosperis moderationem exhibuit, atque in adversis constantiam. Ipso postea in Galliarum regem assumpto, ac nullo et irrita per apostolicam sedem eo declarato conjugio, id non solum æquissimo animo tulit, sed gravi se vinculo solutam predicans, liberius deinceps uni Deo famulari posse gratulata est.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. *V.* Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et.

LECTIO V.

Biturgensis ducatus sibi a Ludovico rege assignatos redditus, alen-

DIE 4 FEBR. — B. JOANNÆ VALESIAE. [413]

dis pauperibus, curandis ægrôtis, ædificandisque monasteriis profuse erogabat. In eam vero curam præsertim incubuit, ut sacrarum virginum cœtum sub nomine Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ, quibus ejusdem virtutes, certis regulis ab Alexandro sexto approbatis, essent ad imitandum proposita, institueret, ac promoveret, quod ei feliciter cessit. Egénos ac miseros omnes ad se confugiéntes maternæ caritatis complectebatur visceribus: ægrôtos in primis, quorum ulcera et saniem propriis manibus tergere et contrectare non refugiébat, restituta non semel eo contactu iisdem sanitate.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *V.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

LECTIO VI.

Singulari, atque eximia erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pietate ferebatur: ad quod tanta accedebat lacrymarum vi, ut ejusdem

caritatis ac devotiõnis sensus in astantium animis excitaret. Dominicæ quoque passionis mysteria pari recolébat affectu. Quare constructo intra domesticum hortum Christi sepulcro, ibi secedebat identidem nudum pectus lapide tundens, atque in preces et lacrymas jugiter effusa. Vitæ demum innocentissime actæ finem quadragenaria præsentiens, sacris omnibus christiænæ religionis mysteriis rite pieque susceptis, pridie Nonas Februarii Biturici decéssit, anno millésimo quingentésimo quinto. Ejus corpus quinquagésimo séptimo post obitum anno incorruptum repertum, dum ab hæreticis militibus ad cremandum raperetur, gemitus edidisse et mucrone transfixum copioso sanguine manasse perhibetur. Ejus cultum Benedictus decimus quartus apostolica auctoritate probavit anno millésimo septingentésimo quadragésimo secundo. Tandem Pius sextus, ut in toto Galliæ regno possit de beata Joanna Valésia, anniversaria ejus dormitiõnis die, Officium

recitari, ac Missa celebrari de Communi nec Virginis nec Martyris indulget, anno millésimo septingentesimo septuagésimo quinto, die vero Aprilis vigésimo.

R. Fallax grátia. [169]

In iij. Nocturno, Homilia. Caelórum regnum. de Communi. [171]

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.

DIE V. FEBRUARII.
SS. XXVI. Martyrum Japonensium.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum [64] præter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitationem per crucis supplicium primitias fidei apud Japoniæ gentes in sanctorum Martyrum Petri Baptistæ, Pauli et sociorum sanguine dedicasti: concede quæsumus, ut quorum hodie solémnia cõlimus, excitémur exémplic. Qui vivis et regnas.

Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones. Fratres, Debitóres. de Communi. [68]

In II. Nocturno.

Lectio ii.

Emotissimæ Japoniæ regiõni extrémis Orientalis

Asiæ finibus sitæ, quæ diu in tenebris et in umbra mortis séderat, sextodécimo salutis humanæ reparatæ sæculo cathólicæ veritatis lumen affúlsit. Magnus síquidem illic Indiárum Apóstolus sanctus Franciscus Xavérius Christum prædicans crucifixum, ádeo insignem fidei-
lium fundávit Ecclésiám, ut hisce in terris Apóstolorum témpora rediisse videréntur. Non illi étiam defuere Mártyres, qui fidei primitias ságuine consecrárent. Eódem enim labénte sæculo, cum Taicosáma Japonensium imperátor plúries minitatus fuisset, se Philippinas insulas in suam ditiõnem redactúrum, cénsuit cathólicus Hispaniárum rex áliquos suæ natiõnis religiosos viros in Japoniam mittere, régio legatorum múnere ornátos, ad pacem Taicosámæ suadendam. Huic óperi deléctus est frater Petrus Baptista, sacerdos ex órdine Minórum sancti Francisci strictiõris

observantiæ discalceatorum, morum sanctitate et doctrina insignis; cui álii dati sunt sócii ex eodem ordine. Qui omnes legationem hanc eo susceperunt ánimo, ut inde occasionem arriperent Evangelium illis gentibus prædicandi, quia apostolica pollébant auctoritate ad fidem cathólicam apud Indos et Sínicá regna disseminandam. Hi ad líttora Japoniæ appúlsi et suo múnere feliciter functi, ad religiõnis incrementum, in partem labóris áliis sóciiis ascitis, ánimum suum convertérunt.

R. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviétes præceptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida: et in Mari rubro via sine impediménto. **V.** Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio iii.

Multis proinde xendochiis, cœnóbiis et ecclésiis per diversa loca christiáno ritu excitatis, ibique per triennium prædicatiõni, jejúniis, vigíliis, præcibus júgiter instando,

atque egenórum et lanquéntium ærúmniis miro caritatis ardóre subveniéndõ, et fidèles plúrimos in via salutis confirmá-
runt, et gentes innúmeras perduxere ad fidem. Quade re gráviter commóti inánium deórum sacerdotes, imperátorem convéniunt eique persuadent impérium diu incólume non futúrum, ni christiánam religiõnem úndique gliscéntem a suis finibus propulsándam curáret. Vano illo timóre percúsus imperátor, statim jussit religiosos viros tamquam majestatis reos detinéri, dixitque in eos senténtiam crucis. Præter Petrum Baptistam et quinque sócios comprehénsi fuere Paulus Miki cum duóbus sóciiis Japonensibus ex Societate Jesu, nec non Tertiárii quíndecim ex eodem ordine Minórum Japonenses, quorum álii catechismo, álii sacris officiis inserviébant, quibus duo in vínculis ministrántes adáucti sunt; proindeque sex et viginti explétus est número.

R. Vérbera carnificum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nó-

mine: * Ut heredes fierent in domo Domini. *v.* Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. — Ut heredes.

Lectio vj.

Post diuturnum carceris squalorem fortissimi Christi athleta, extrema sinistrae auris parte in Meacensi foro publice mulctati, revinctis post tergum manibus, vili in plastro per vias primum hujus metropolis, tum aliarum Japoniae urbium sexcentorum milliariorum itinere terrestri, quo ignominia et terror latius spargerentur, summa hieme circumducuntur praeeunte lictore ac sententiam crucis in eos praefereunte, quod vetitam a tyranno Christi legem praedicassent. Illud memoria dignum in itinere accidit, ut adolescenti Japonensi Antonio alteri ex Tertiariis parentes occurrissent, eumque blanditiis et lacrymis conarentur adducere ut Christo fidem falleret, quibus constantissime obstitit, affirmans se terrenis omnibus ac transitoriis despectis unico Christo adhaesurum, qui sibi aeterna et caelestia

repromisit; dein vestem qua operiebatur eis restituit. Tandem Nangasacium perducti crucibus affiguntur, quae jam in quodam colle quasi in Calvario paratae erant; postea in altum elati, Christi fidem haud praedicare cessabant. Enituit quidem Paulus Miki, qui e triumphali illa crucis cathedra ad circumfusam multitudinem pro christiana religione peroravit, illud palam sibi gratulatus quod in cruce ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate, supremum expleret diem. Postrimo singuli ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi, victrices animas caelo inserendas emisere. Suorum militum gloriosum certamen variis Deus condecorare voluit signis: quibus rite probatis, Sacrorum Rituum Congregatio ad eorum canonizationem quandocumque deveniri posse decrevit. Interim Urbanus octavus Pontifex maximus, habita hujus decreti relatione, de eiusdem Martyribus utpote in Beatorum fastis ascriptis Officium et Missam quotannis recitari et ce-

lebrari indulset. Tandem divinae providentiae consilio factum est, ut Pius nonus Pontifex maximus hujusmodi iudicium ad exitum perduceret. Quare sacro Pentecostes die anni millésimi octingentesimi sexagesimi secundi, magna et illustri purpuratorum Patrum et Episcoporum, qui ex omnibus orbis catholici partibus ad protuenda Ecclesiae et sedis apostolicae jura convenierant, corona circumdatus, eosdem Martyres Sanctorum alborecensuit.

℟. Tamquam. [72]

In iij. Nocturno, Homilia. Advérte omnia. *de Communi ij. loco.* [82]

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriae in Laud.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Hyacinthae
de Mariscottis,

Virg. Duplex.

Omnia de Communi Virginum [137] praeter seq.

Oratio.

Deus, qui beatam Hyacintham Virginem tuam jugis mortificationis et caritatis victimam effecisti: ejus nobis exemplo et intercessione concede, ut peccata nostra defle-

re, et te semper diligere valeamus. Per Dominum nostrum.

Commem. Feriae.

In j. Nocturno, Lectiones. De virginibus. *ut in Communi.* [143]

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Yacintha, nobilis virgo Romana, Marci Antonii de Mariscottis, Vignaneli comitis (quo in oppido nata est) et Octaviae Ursinae filia, a prima aetate divinae protectionis argumenta experiri coepit, cum septennis jamjam in puteum prolapsura, praesenti Dei beneficio servata est. Viterbium missa ad moniales sancti Bernardini, ut ab iis educaretur, ibi tertii ordinis sancti Francisci institutum adolescens suscepit, non ita tamen, ut sacra cum vester religiosus mores indueret; pompis enim ac deliciis aliquamdiu indulset, donec ex febre decumbens, acciti ad se confessarii opportuna commonitione percussa, omni vanitati nuntium remisit. Itaque anteaetate vitae maculis poenitentiae sacramento expiatis, in communi triclinio in ge-

nua humillime provoluta, lacrymis se prouens, ac flagello in se ipsam animadvertens, veniam a sororibus deprecata est: tum annuam pecuniam, ac splendidam atque superfluam supellectilem, mundi ac sui contemptrix abdicavit: deinceps vero nudis pedibus, vel, cum morbus cogeret, subiecta solea obtectis, ac unica tantummodo tunica contenta, eaque rudi, obsoleta, et in eleemosynam accepta, ac fune praecincta, quoad vixit, incessit.

✠ Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ✠ Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et.

Lectio v.

Praeter asperum vestitum, cilicio, vigiliis, laboribus fracta, assiduisque jejuniis extenuata, corpus etiam crebris verbis, ac spinarum manibus lacerabat, adhibito interdum alterius quoque monialis brachio ad majorem sui corporis afflictationem; quod ut magis magisque atterreret, lectulo ex assibus, soloque

vili stragulo instructo utebatur, ac pro pulvillo saxum adhibebat, quod in stramen ex obedientia commutavit, in quo alterutro pede ad crucem in conspectu positam, catena alligato, brevissimum somnum capiebat. Ad haec absinthium herbisque amarissimas mandere, monialium ulcera, ac pannicula sanie madentia exosculari non renuit: scalas monasterii, onusta ingenti cruce, genibus ascendere aliquando consuevit; nunc quoque urticas, nunc ceras liquatas, modo nivem et glaciem, modo alveos rigentium aquarum ad macerationem adhibuit. Christi Domini passionem, quam summopere venerabatur, apte a se excogitata atrocissimarum poenarum serie imitari, in majori hebdomada singulisque sextis feriis solita fuit. Patientia in perpetrando injuriis, christiana humilitas, virginalis verecundia, ac summa sequitas in novitiis, quibus praerat, ad perfectionem provehendis, in ea mirifice eluxerunt. Animarum quoque zelo incensa, plures inimicitias sustulit,

periclitantes puellas in tuto collocavit, plurimis ad meliorem frugem ductis; in proximorum salute procuranda, qua orationibus, qua voluntariis corporis cruciatibus, omni denique conatu jugiter incubuit.

✠ Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. ✠ Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vj.

Agrorum in nosocomis ac pauperum patrocinium, quamquam inops, omni studio suscipit, et ut iisdem succurreret, non solum propriis ipsa manibus laborabat, et quotidianum sibi victum subtraherat, frustulis panis contenta: sed moniales etiam ac matronas civitatis, virosque divites ad id operis alliciebat, atque, undequaque poterat, subsidia corrogabat: quinimo, ut quam pro egenis et invalidis sollicitudinem ostenderat, perpetuo firmaret, duas sodalitates, quae eorundem curam gererent, institui curavit. Erga sanctissimum Eu-

charistiae sacramentum fuit vehementer affecta: cujus cultum ut in aliis quoque promovet, ad illud frequenter per annum cum solemnibus pompis, quam Deo gratam fuisse nonnulla prodigia comprobaverunt, publicae venerationi exponendum omnem operam adhibuit. Deiparam Virginem tam impense coluit, ut digna habita fuerit, quae ejus apparitione recrearetur. Prophetiae, contemplationis, lacrymarum dono, aliisque charismatibus floruit. Anno denique millesimo sexcentesimo quadagesimo, aetatis suae quinquagesimo quinto inchoato, in caelum evocata est, cujus corpus in ecclesia sancti Bernardini Viterbii colitur, eamque Benedictus decimus tertius meritis et miraculis clarum in beatarum, Pius vero septimus in sanctarum Virginum numerum retulerunt.

✠ Afferentur. [148]

In iij. Nocturno, Homilia. Saepe vos, fratres. de Comuni. [151]

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriae in Laudibus.

DIE XI. FEBRUARII.
Apparitionis
B. M. V. Immaculatæ.
Duplex majus.

Offic. ut in Festis B. M. V.
per Annum [208] præter ea
quæ hic habentur propria.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de
Laudibus. [426]

Psalmi, Hymnus et V. Di-
gnare. ut in Festis B. M. V.
per Annum. [208]

Ad Magnificat, Añæ. Ista
est columba mea, perfectæ
mea, immaculatæ mea.

Oratio.

DEus, qui per Immacu-
latam Virginis Con-
ceptionem dignum Fílio
tuo habitaculum præpa-
rasti: supplices a te quæ-
sumus; ut ejusdem Vir-
ginis apparitionem cele-
brantes, salutem mentis
et corporis consequamur.
Per eundem Dóminum.

Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invitator. Immaculatam
Virginis Conceptionem
celebrémus, * Christum
ejus Fílium adorémus Dó-
minum. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

TE dicimus præcónio,
Intacta Mater Nú-
minis,

Nostris benigna laudibus
Tuam repénde grátiam.
Sontes Adámi pósteri
Infécta proles gignimur,
Labis patérnæ nescia
Tu sola, Virgo, créderis.
Caput draconis ínvidi
Tu cónteris vestígio,
Et sola glóriam refers
Intaminatæ originis.

O gentis humanæ decus
Quæ tollis Hevæ oppró-
brium,

Tu nos tuere súpplices,
Tu nos labántes érige.
Serpéntis antíqui potens
Astus retúnde et impe-
tus,

Ut Cœlitum perénnibus
Per te fruámur gáudiis.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,

In sempitérna sæcula.
Amen.

In I. Nocturno.

Añæ. Ave grátia plena,
Dóminus tecum.

Añæ. Benedicta tu inter
mulieres, et benedictus
fructus ventris tui.

Añæ. Ne tíneas, María;
invenisti grátiam apud
Dóminum.

V. Deus omnipotens præ-
cínxit me virtúte. R. Et
pósuit immaculatam viam
meam.

De Parábolis Salomónis.
Lectio j. Cap. viij. b et ix.



SGO sapientia, hábi-
to in consilio, et
eruditus intérsus
cogitationibus. Timor Dó-
mini odit malum: arro-
gántiam, et supérbiam, et
viam pravam, et os bilin-
gue detéstor. Meum est
consílium, et æquitas, mea
est prudéntia, mea est for-
títudo. Per me reges re-
gnant, et legum conditó-
res justa decérnunt. Per
me príncipes ímperant, et
poténtes decérnunt justí-
tiam. Ego diligéntes me
díligo: et qui mane vígi-
lant ad me, invénient me.

R. Sapientia quæ attingit a fine usque ad finem
fortiter, et dispónit ómnia
suávitèr, ædificávit sibi
domum. * Ecce taberná-
culum Dei cum homínibus.
V. Vidi sanctam civitá-
tem, Jerúsalem novam,
parátam sicut sponsam,
ornátam viro suo. — Ecce.

Lectio ij.

Mecum sunt divítia, et
glória, opes supér-
bæ, et justítia. Mélior est
enim fructus meus auro,
et lápide pretióso, et ge-
nínima mea argénto elé-
cto. In viis justítiaæ ám-
bulo, in médio semítarum

judícii, ut ditem diligén-
tes me, et thesáuros eó-
rum répleam. Dóminus
possédit me in ínítio viá-
rum suárum, ántequam
quidquam fáceret a prin-
cípío. Ab atérno ordináta
sum, et ex antíquis ánte-
quam terra fieret. Non-
dum erant abyssi, et ego
jam concépta eram: nec-
dum fontes aquárum erú-
perant: necdum montes
gravi mole constítèrant:
ante colles ego parturiébar.

R. Quasi arcus refúlgens
inter nébulas, et quasi flos
rosárum in diébus vernis,
et quasi lília in tránsitu
aquæ, * Sic fulget Virgo
immaculatæ. V. Arcum
meum ponam in núbibus,
et erit signum fœderis mei
vobíscum. — Sic fulget.

Lectio iij.

Béatus homo qui audit
me, et qui vígilat ad
fores meas quotidie, et
obsérvat ad postes óstii
mei. Qui me invénerit,
invéniet vitam, et háuriet
salutéem a Dómino: qui
autem in me peccáverit,
lædet ánimam suam. Om-
nes, qui me odérunt, díli-
gunt mortem. Sapientia
ædificávit sibi domum,
excídit colúmnas septem.
Immolávit víctimas suas,

míscuit vinum, et propó-
suit mensam suam. Misit
ancíllas suas ut vocárent
ad arcem, et ad mœnia
civitátis : Si quis est pár-
vulus, véniat ad me. Et
insipiéntibus locúta est :
Veníte, comédite panem
meum, et bíbite vinum
quod míscui vobis.

R. Surge amíca mea,
speciósá mea, et veni colúmba
mea. * Osténde mihi fáciem
tuam, sonet vox tua in áuribus
meis. **V.** Vox túrturis audíta est
in terra nostra. — Osténde.
Glória Patri. Osténde.

In II. Nocturno.

Añá. Fecit mihi magna
qui potens est, et sanctum
nomen ejus.

Añá. Sanctificávit taber-
náculum suum Altíssi-
mus : Deus in médio ejus,
non commovébitur.

Añá. Dóminus possédit
te in inítio viárum suá-
rum : et in caritáte perpé-
tua diléxit te.

V. Adjuvábít eam Deus
vultu suo. **R.** Deus in mé-
dio ejus, non commové-
bitur.

Lectio ib.



Nno quarto a dog-
mática definitió-
ne de Immaculáto
beátæ Vírginis Concéptu,

ad Gavi flúminis oram
prope óppidum Lourdes
diocécis Tarbiénsis in
Gállia, ipsa Virgo in rupis
sinu super specum Massa-
biélle puéllæ cuídám, ver-
nácula lingua Bernadétte
nuncupátæ, paupérrimæ
quidem, sed ingénuæ ac
piæ, plúries se conspicién-
dam óbtulit. Immaculáta
Virgo juveníli ac benigno
videbátur aspéctu, nivea
veste niveóque pállio con-
téccta, ac zona cærúlea
succíncta : nudos pedes
áurea rosa ornábat. Primo
apparitiónis die, qui fuit
undécimus Febrúarii anno
millésimo octingentésimo
quingagésimo octávo,
puéllam signum crucis
rite piéque faciéndum
edócuit, atque ad sacri ro-
sárii recitatiónem, exem-
plo suo, corónam, quæ
prius ex bráchio demissa
pendébat, manu advól-
vens, excitávit : quod in
céteris étiam apparitióni-
bus præstitit. Altera au-
tem apparitiónis die,
puélla in simplicitáte cor-
dis sui, diabólicam frau-
dem timens, lustrálem
aquam in Vírginem effú-
dit : sed beáta Virgo, lé-
niter arrídens, benignió-
rem illi vultum osténdit.

Cum vero tértio apparuís-
set, puéllam ad specum
per quíndecim dies invi-
távit. Exínde eam sæpius
est alloquúta, ac pro pec-
catóribus oráre, terram
deosculári, pœnitentiám-
que ágere est hortáta :
deínde imperávit ut sacer-
dótibus edíceret, ædifi-
cándum ibi esse sacéllum,
solemnisque supplicatió-
nis more illo accedéndum.
Mandávit ínsuper ut e
fonte, qui sub aréna adhuc
latébat, sed mox erat
eruptúrus, aquam bíberet
eáque se abstérgeret. Dé-
nique die festo Annúntia-
tiónis, percontánti eníxe
puéllæ illíus nomen, cujus
aspéctu tóties dignáta
fúerat, Virgo, admótis pé-
ctori má nibus elatisque
in cœlum óculis, respón-
dit : Immaculáta Concé-
ptio ego sum.

R. Quæ est ista, quæ
progréditur quasi auróra
consúrgens, * Pulchra ut
luna, elécta ut sol? **V.** Ipsa
est colúmba mea, perféccta
mea, immaculáta mea. —
Pulchra.

Lectio v.

Percrescénte fama
beneficiórum, quæ in
sacro specu recepisse fidé-
les dicebántur, augebátur

in dies hóminum concúr-
sus, quos loci religio ad
specum advocábat. Itaque
prodigiórum fama puellæ-
que candóre motus Tar-
biénsis Epíscopus, quarto
ab enarrátis anno, post
jurídicam factórum in-
quisiónem, supernaturáles
esse apparitiónis notas
sua senténcia probávit,
cultúmque Vírginis Im-
maculátæ in eódem specu
permísit. Mox ædificátum
sacéllum : ex illa die pene
innúmeræ fidélium turbæ,
voti ac supplicatiónis cau-
sa, ex Gállia, Bélgio, Itá-
lia, Hispánia ceterisque
Európæ provinciis nec-
non ex longínquis Amé-
ricæ regióibus quovis
anno illuc advéniunt, no-
ménque Immaculátæ de
Lourdes ubique terrárum
inclaréscit. Fontis aqua
in cunctas orbis partes
deláta, ægris sanitátem
restítuit. Orbis vero ca-
thólicus tantórum memor
benefactórum, ædes sa-
cras mirábili ópere ibi ex-
strúxit. Vexílla innúme-
ra, acceptórum benefició-
rum véluti monuménta,
illuc a civitatibus ac gén-
tibus missa, ædem Vírgi-
nis miro ornátu décorant.
In hac sua véluti sede

Immaculata Virgo iugiter colitur; interdium quidem precibus, religioso cantu solemnibusque aliis caeremoniis; noctu vero sacris illis supplicationibus, quibus infinitae propemodum peregrinantium turbae ceteris facibusque accensis procedunt et laudes beatae Virginis concinunt.

✠. Erit in novissimis diebus mons praeparatus Virgini Mariae in vertice montium, et elevabitur super caelos, et ibunt populi multi et dicent: * Venite et ascendamus ad montem. ✎. Sicut laetantium omnium habitatio est in te. — Venite.

Lectio vij.

Peregrinationes hujusmodi fidem frigescente saeculo excitasse, animum ad christianam legem profitendam addidisse, cultumque Virginis Immaculae mirum in modum auxisse, omnibus compertum est. In qua mirabili fidei professione christianus populus sacerdotum veluti duces habet, qui illuc suas plebes adducunt. Ipsi etiam sacrorum Antistites sanctum locum frequenter adeunt, peregrinationibus praesunt, so-

lemnioribusque festis intertunt. Nec adeo rarum est ipsos Romanae Ecclesiae purpuratos Patres humiliter peregrinorum more accedentes conspiciere. Ipsi quoque Romani Pontifices, pro sua erga Immaculatam de Lourdes pietate, sacram aedem donis nobilissimis cumularunt. Pius nonus sacris indulgentiis, archiconfraternitatis privilegio ac minoris basilicae titulo ipsam insignivit; ac Deiparae imaginem ibidem cultam, solemniter per legatum suum apostolicum in Gallia diademate distinctam voluit. Leo vero decimus tertius innumera etiam contulit beneficia, indulgentias ad modum jubilaei vigesimo quinto Apparitionis anno vertente concessit, peregrinationes sua auctoritate verboque provexit, ac solennem Ecclesiae sub titulo Rosarii dedicationem suo nomine peragi curavit. Quorum beneficiorum amplitudinem cum plurius Episcoporum rogatu, solemniter festum sub titulo Apparitionis beatae Mariae Virginis Immaculae,

proprio Officio et propria Missa celebrandum benigne concessit.

✠. Praevenisti eam Domine in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus, * Coronam de lapide pretioso. ✎. Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eam. — Coronam. Gloria Patri. Coronam.

In III. Nocturno.

Añã. Manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.

Añã. Noli metere, non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.

Añã. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

✎. Diffusa est gratia in labiis tuis. ✠. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. j. c

In illo tempore: Misus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David,

et nomen Virginis Mariae. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Ex Hom. ij. super Missus.

Etate, pater Adam, sed magis tu, o Heva mater, exsulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuisti peremptores; et quod infelicius est, prius peremptores quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia: sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam; qui utique, dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Propterea curre, Heva, ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat: ipsa matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir ceciderit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam.

R. Tu ergo ínvoça Dóminum, loquere Regi pro nobis, * Et líbera nos de morte. **V.** Omnes sitiéntes veníte ad aquas, et hauriétis salútem a Dómino. — Et líbera.

Lectio viij.

Quid dicébas, o Adam? **M**úlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malítiae sunt hæc quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúmtamen Sapientia vicit malítiam, cum occasiõnem véniae, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesauro indeficiéntis suæ pietátis invénit. Rédditur nempe fémina pro fémina, prudens pro fátua, húmilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcédinem páriat fructus aetérni. Muta ergo iniquæ excusatiõnis verbum in vocem gratiarum actiõnis, et dic : Dómine, múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim

ad hoc missus est Angelus ad Virgínam. O admirándam et omni honóre digníssimam Virgínam; o féminam singulariter venerándam, super omnes féminas admirábilem, paréntum reparátricem, posterórum vivificátricem.

R. Plantávit Dóminus Deus paradísium voluptátis, produxitque lignum vitæ in médio ejus. * Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis. **V.** Emissiões tuæ paradísus, Virgo María. — Et flúvius. **G**lória Patri. Et flúvius.

Lectio ix. de Homilia Feriæ; alias ut supra. [366]
Te Deum. 20.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Candor est lucis aetérnæ, * et spéculum sine mácula.
2. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * et in cápite ejus coróna stelarum duódecim.
3. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, * tu honorificentia pópuli nostri.
4. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélsio, * præ ómnibus muliéribus super terram.

5. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, * ut non recedat laus tua de ore hóminum.

Capitulum. Cant. ij.

Surge amíca mea, speciosa mea, et veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae, osténde mihi faciém tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus.

Auróra soli prævia
Felix salutis nuntia,
In noctis umbra plebs tua
Te, Virgo, supplex invocat.

Torrens nefastis flúctibus
Cunctos trahens voragine,

Leni residit æquore
Cum transit Arca foederis.

Dum torret aréscens humus,

Tu rore sola spargeris;
Tellure circum rorida,
Intacta sola permanes.

Fatále virus évomens
Attollit anguis vérticem;
At tu draconis túrgidum
Invicta cónteris caput.

Mater benigna, respice
Fletus precésque súpllicum,

Et dimicantes tartari
Victrix tuere ab hóstibus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempiterna sæcula.

Amen.

V. Diffusa est grátia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Añæ. Præclára salutis auróra, ex te, Virgo María, exívit sol justítiae, qui visitávit nos oriens ex alto.

Oratio.

Deus, qui per Immaculatam Virgínis Conceptionem dignum Filio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quæsumus; ut ejúsdem Virgínis apparitiõnem celebrátes, salutem mentis et córporis consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Commem. Feriæ.**AD TERTIAM.**

Capit. Surge. ut in Laud.

R. br. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, * Deliciis áfluens? Quæ est ista. **V.** Innixa super dilectum suum. Deliciis áfluens. **G**lória Patri. Quæ.

V. Vidérunt eam filiae Sion. **R.** Et beatissimam prædicavérunt.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xxiv.

Mecum sunt divítiae et glória, opes superbæ et justítia: mélior est